

377-
DE
NOMOPHYLACIBVS

APVD

ATHENIENSES

PAVCA PRAEFATVS PERMVTATOS

FASCES CONSVLARES

CONSVLIBVS

CETERISQVE

SENATORIBVS

CIVITATIS VVITTEBERGENSIS

EA QVA DECET OBSERVANTIA

GRATVLATVR

IOANNES HENRICVS MÜCKE

VVITTEBERG. SAXO.



VITEMBERGAE

EX OFFICINA VIDVAE SCHEFFLERIAE.

Antiqu. Graec.

288,79

NOMINALE

VERZEICHNIS

DER

BUCHER

IN

DER

BIBLIOTHEK

DES

STADT

DR

1793

VERMISCHT

UND

RECHTSGEBUNG

UND

WISSENSCHAFT

UND



I liadem, post Homerum, equidem scribere viderer, si rem, cuius plena sunt venerandae antiquitatis monimenta, fusius iam persequi auderem. Liceat modo quaedam strictim carptimque non iam de omnium Graecorum, quam imprimis de Atheniensium cura diligentiaque differere, quam non minus in constituendis, quam in custodiendis rectis legibus posuerunt. Res ipsa hortari videtur, quoniam de legibus Athenarum tempus admonuit, rem paullo altius repetere, et pauca de celebrioribus Atheniensium legislatoribus commentari. Iam primum, misso Cecrope, qui leges ex Aegypto Athenas transtulit, venio ad Draconem, quo fere dubito multos esse, quos Graecia viderit clariores, celebrioresque legislatores. Hic cum esset vir, et gravitate, et sapientia nemini secundus, scribendarum legum accepit potestatem. (a) Scilicet, cum ante Draconis aetatem arbitrium suum magis, quam leges scriptas sequerentur Archontes, (b) multae hinc discordiae, aliaque mala exoriebantur. Quibus in malis cum respublica salua esse non posse videretur, quin potius aliud alio ferri, miscerique omnia videret, Draco, uti erat vir pietatis studio erga patriam maxime insignis, haud
) (2 inui-

(a) Gellius N. A. XI. 18.


(b) Hanc fere semper legum ferendarum causam fuisse patet ex Taciti Annal. III. 26.



inuītus legum ferendarum in se suscepit curam, quibus tanquam cancellis quibusdam effrenatam ciuium suorum coerceret, cohiberetque licentiam. Factum hoc est a. I. Olymp. XXXIX. (c) anno fere, si Eusebio credas, qui Archontum initia incidisse scribit in Olymp. XXIII. quinquagesimo septimo ab initio Archontum. Fuerunt, qui Draconis leges nimiae tristitiae accusantes, eas, uti Demades, sanguine magis, quam atramento scriptas esse dictarent, neque tamen hoc quidquam valet ad laudes harum legum diminuendas, quin potius easdem augeat. Quenam, quaeso, res maiorem potuisset his legibus conciliare auctoritatem, praesertim eo tempore, quo, coniecturis assequi possumus, Athenienses nihil pensi habituros fuisse, ni ius de tergo, vitaeque sua, sciuisent, penes leges esse, quarum maiestatem violassent. Satis de Dracone, venio nunc ad eum, qui Draconem excepit, Solonem. Hic diuino quasi munere miseris Atheniensium rebus oblatus, id sibi inprimis agendum esse, putauit, ut prudentia sua, qua bene multos suae aetatis praestabat, patriam suam subleuaret. Ut primum enim Atheniensium res per Draconis leges creuerat, fortuna faeuire ac miscere omnia coepit, hebescere virtus, paupertas probro haberi. Hinc uti quisque erat opulentissimus potentissimusque, ita maxime de opprimendis inferioribus cogitabat. Exinde, dici vix potest, quot tumultus, seditionesque sint exortae. In tantis igitur disidiis exteri hostes, Atheniensium crescentis potentiae aemuli facili negotio eorum potuissent opprimere rempublicam, ni temporibus istis Solon contigisset, qui nutantibus reipublicae rebus leges suas opponeret. Vereor, ne longior sim, quam pro instituti mei ratione, si omnes Solonis leges enarrare susciperem. Qua de causa, missis ceteris, illa lex inprimis memoria viderur digna, qua sanxerat, ut vel infimi ex plebe, quos *ῥήτας* dixere, ad iudicia admitterentur, (d) qua lege inprimis cautum est, ne quis optimatum inferiores iniuriis laedere posset atque lace-
re.

(c) Suidas in voce *Δρακων*.

(d) Plutarch. in Solone, Meursius in Solone c. 14.



re. Cetera, quae hac de re dici poterant, consulto mittimus, cum ex ante dictis satis iam appareat, nullo fere tempore defuisse in Atheniensium republica, qui, cum essent prudentia maximi, in sancendis rectis legibus curam suam diligentiamque collocarent. Neque tamen minor, in custodiendis legibus, eorum inclaruit industria. Scilicet, cum probe scirent, nihil ad reipublicae salutem valere, rectas sanxisse leges, ni easdem provide custodias, lecti sunt, qui custodiendarum legum curam susciperent, quos νομοφύλακας dicere visum est. (e) In his igitur enarrandis, si placet, nostra nunc occupabitur commentatiuncula. Iam primum omnium satis constat, huic Atheniensium magistratui nomen datum fuisse ab ipsa re, in qua versari debebat eius cura atque industria, a legibus puta, quas voce quadam e re musica νόμους dixere, νόμοι vero sunt modi seu moduli per se sumti, ipsaque carmina modulata. (f) Nam veteres, hominum animi quo facilius legum imbuerentur notitia, leges versibus inclusas (g) decantari iubebant, indeque legibus hoc nomen inhaesit, in quibus custodiendis quoniam hi Atheniensium magistratus laborare debebant, Φύλακας eos inde dictos esse, accepimus. Alio nomine in veterum monumentis Thesmophylaces (h) appellantur, ex ipsa quoque re vocabulo desumpto, Θεσμὸς enim leges Graeci vocarunt ab inscriptione, qua Draconis leges insigniebantur, Θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ἀθηναῖσι νομομένοις, κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον. (i) Nunc sane dicendum esset, quid per Nomophylaces indicatum velim. Sed priusquam ad cetera festinem, ante omnia quaedam praemonenda esse, censeo. Primo quidem loco, non de illis XI ego dicturus sum Nomophylacibus, quos, Pollux (k) ait, fures latronesque criminis convictos supplicio adficiendos curasse. Multo minus Lacedaemonio-

(3

(e) Pollux Onomast. VIII. 9.

(f) Spanheim ad Cal im. p. 509. d'Orville in vanno crit. p. 649.

(g) Clemens Alexandr. Strom. I. p. 308. edit. Sylb.

(h) Aristoph. Scholiastes ad Vespas V. 1103.

(i) Porphyr. περὶ ἀποχῆς IIII. p. 179. f. fin.

(k) Pollux Onomast. VIII. 9.



moniorum Nomophylaces longiori equidem persequar oratione, ad quos Cragius (1) dicit, legum interpretationem pertinuisse. Postremo etiam probe tenendum est, mihi Nomophylaces non eos dici, qui faciunt, quae lex praecipit, haec quidem significatio in scriptoribus sacris N. T. legendis nostro debet obuersari animo, sed apud τῶν ἑξω, qui Nomophylacum mentionem iniiciunt, nullibi hanc vocem hoc sensu occurrere inuenias (m). His praemonitis, mihi Nomophylaces sunt ii, qui, cum essent sacrosancti magistratus Athenis, curabant, ne quid contra leges, neque a senatu, neque a populo fieret. Grauius sane hoc munus fuisse, cognoscimus, et non nisi illis dignum, qui virtutum omnium, tanquam comitatu quodam stipati, legum prudentiam consecuti essent insignem. Quapropter, cur ex Areopagitis (n) lecti sint, de quibus nos differere coepimus, Nomophylaces, huius rei causa sane in promptu est, nempe ex isto collegio prudentiam, longiori usu altam atque nutritam adferre putabantur. Quoniam vero non prudentiae tantum, sed virtutis quoque hoc munus erat, nec illud magnopere mirandum est, quod illi tantum huic magistratui apti sint, idoneique iudicati, qui, praeter insignem prudentiam, vitae morumque probitate, pietate erga patriam, summa sanctitate, aliisque virtutibus omnes alios superarent. (o) Quanta auctoritatis futurus fuisset, qui, cum aliorum facta notare deberet, ipse contra leges ageret, nemo non videt. Praeterea veteris historiae monumenta plus satis docent, nullo fere tempore, in libera Atheniensium republica, defuisse, qui per summum scelus summum imperium affectantes non tam ariete admoto, quam cuniculis, ut ita dicam, actis, libertatem Atheniensium euertere conarentur. In tanto igitur libertatis periculo caute circumspiciendum erat, ne illis legum custodiendarum
con-

(1) Nic. Cragius de Republ. Lac. II. c. 8.

(m) Cl. Krebsius in Comment. decreti Atheniens. in honorem Hyrcani facti. p. 92.

(n) Possardus de Magistratu Athen. p. 459.

(o) Possardus l. c.



concrederetur cura, qui, cum capitales essent Atheniensis libertatis hostes, quiduis potius, quam leges vigere vellent, quibus tanquam fulcris omnem sciebant sustineri libertatem. Hinc neminem praeter eum, qui his conspicuus esset virtutibus, hoc munere dignum fuisse, liquet, clarius opinor ex illis apparebit, quae nunc demum, de variis Nomophylacum officiis, dicturi sumus. Varia igitur eorum munera Cicero (p) paucis complexus, eos dicit facta hominum obseruasse, eaque ad leges reuocasse. Equidem vero hunc Ciceronis locum illustrationis meae luce collustraturus prouoco ad Harpocracionem et Pollucem, qui fusius ea de re exposuerunt. Ille (q) quidem Nomophylaces dicit, senatum coegisse legibus uti: ἔστοι ἐπηνάγκαζον τὰς ἀρχὰς τοῖς νόμοις χρῆσθαι. Neque tamen minus eos populum ad leges reuocasse, huius quidem rei testis est Pollux: (r) ἔνια διακωλύουσιν ἐπιχειροτονεῖν ὅσα μὴ συμφέρει. Ex quibus satis opinor patet, Nomophylaces ius quoque in populum habuisse, τὸ ἐπιχειροτονεῖν enim fere scimus populi fuisse, quippe qui per χειροτονίαν s. manuum extensionem Senatus consulta ante populi suffragia προβλεύματα dicta confirmaret, quae tunc demum ψηφίσματα vocata valebant in perpetuum, cum προβλεύματα vnus tantum anni spatium valerent. (s) Aliud adhuc, idque profecto non leuioris momenti eorum officium a Cicerone omissum suppleuit Pollux, (t) alii- que, illius verba haec sunt, τὴν πομπὴν πέμπουσι τῇ Θεῷ. (Minervae puta.) Scilicet duo in honorem Mineruae, tanquam Athenarum praesidis, Athenis agebantur festa (u) ab Orptheo aut Erichthonio instituta, quae ante Thesei tempora Ἀθήναια vocata, cum Theseus totam Atheniensium gentem in vnā red- egisset ciuitatem, Παναθήναια dicebantur, eaque erant uel μικρὰ, quae

(p) Cic. de legg. III. 20.

(q) in voce νομοφύλαξ

(r) Onom. VIII. 9.

(s) Potterus ἀρχαιολ. p. 157.

(t) l. c.

(u) Harpocrat. in voce Παναθήναια.



quae tertio quovis anno s. uti alii contendunt quotannis celebrari solebant, vel *μεγάλα*, (x) quae singulis quinquenniis agebantur, illa certaminibus nobilia a X illis viris Agonothetis curabantur, qui e decem Atheniensium tribubus lecti munus suum per quatuor annos gerebant, haec contra a maiori pompa *μεγάλα* dicta, a Nomophylacibus administrari curarique solebant, Agonothetis nihilominus, quae ad ludos spectabant, curantibus. (y) Haec cum essent Nomophylacum multa sane longae grauiissima munera, amplissimis eam ob caussam honoribus digni sunt iudicati. Itaque superest, vt pauca de eorum honore, dignitateque adiiciam. Iam primum huc pertinet strophium illud album, (z) quo redimiti Nomophylaces, cum in publicum prodirent, omnibus summam inculiebant reuerentiam. Neque tamen minor in ludis et concionibus illis habebatur honos, ibi enim in sellis e regione Archontum sedebant, (a) ab omnibus conspiciendi, hic vero, cum essent secundo dignitatis gradu, Proedris, quippe qui a primis sedibus ita dicebantur, assidebant. (b) Hinc a loco sane non alienum esse videtur, hanc expedire quaestionem, quinam hoc loco intelligi debeant Proedri, cum duo constet fuisse apud Athenienses Proedrorum genera. Scilicet L. Prytanes, cum simul omnes feliciter imperare non possent, in V. describebantur decurias, adeo, vt quaeque decuria X. contineret Prytanes, qui Proedrorum nomine insigniebantur. Porro ex istis VII. sorte sunt designati, quorum quisque vnum septidui diem ceteris Prytanibus et Proedris imperaret, isque *ἐπιστάτης* dictus est. Quibus omnibus fidem facit Libanius, siue alius, quocumque demum nomine veniat, auctor, cui argumentum Orationis Demosthenis, contra Androtionem debemus. Haec de primo Proedrorum genere. Alterum vero quod attinet, illud quidem, scimus, eo tantum tempore valuisse, quo populus, vel sua sponte, diebus *κυρίαις* s. stas in concionem veniebat, vel rerum necessitate cogente,

(x) Thucyd. l. VI. p. edit. Stephan. 216.

(z) Suidas v. οἱ νομοφύλακες.

(a) ibid.

(b) Pollux l. c.

(y) Suidas v. οἱ νομοφ.



cogente conuocabatur. Illo enim tempore Prytaniae Epistatae nouem illis tribubus, quae Prytaniae munere tunc non fungebantur, Proedrum vnum, atque ex his nouem Proedris alium Epistatam eligebat, quorum erat, res in concionibus populi discernendas proponere, et populum in suffragia mittere. (c) Quae cum ita sint, non inepte quaesieris, cuius generis fuerint Proedri, quibuscum confedissee dicantur Nomophylaces. Ac me quidem non poenitet eius esse sententiae, ut putem, eos intelligendos esse, qui in concionibus siue *κυρίαις*, siue *συγκλήτοις* ex X illis tribubus Prytaniae munere tunc non fungentibus lecti populum in suffragia mittebant. Huic rei fidem faciunt ea, quae supra de Nomophylacum officiis monita sunt, ex quibus Nomophylaces patet eam fere ob causam *τοῖς προέδροις* assedissee, vt, si quando populus in suffragia esset mittendus, prohiberent *ἐπιχειροτονεῖν*, siue per extensionem manuum suffragia ferre. Vides igitur, alterius generis Proedros h. l. intelligendos esse, quorum quippe erat *ἐπιψηφίζεῖν*, hoc est, uti Cl. Ernesti (d) hanc vocem contra vulgatam interpretationem vindicat, populum in suffragia mittere. Cum vero prioris generis Proedri non minus soliti fuerint *ἐπιψηφίζεῖν ἐν τῇ βουλῇ*, non male mihi dixeritis, unde vero tibi constat, alterius generis Proedros intelligendos esse, cum Nomophylaces eadem veri specie Prytaniae Proedris assedissee videantur, nempe hoc colligo ex Pollucis loco supra iam excitato, quo Nomophylaces dicuntur prohibuisse *ἐπιχειροτονεῖν*. Iam vero, quantum quidem memini, Senatores nullibi leguntur per *χειροτονίαν* suffragia tulisse, populum contra hoc fecisse, e supra dictis abunde patet. Rebus sic se habentibus quidni putauerim Proedris alterius generis Nomophylaces assedissee, quippe qui solerent *ἐπιψηφίζεῖν ἐν τῷ δήμῳ*, seu, quod idem est, potestatem populo dare, per *χειροτονίαν*, suffragia ferendi. Ceterum de hac re iudicent

)(

cent

(c) Ita Cl. Krebsius in Comment. supra e. p. 57. sqq.

(d) Cl. Ernesti ad *ἀπομν.* Socratis l. I. n. 18.



cent acutiores. Restat adhuc alia quaedam quaestio, quae, dici vix potest, quam ancepites quosdam tenuerit. (e) Scilicet quaerunt, num a Thesmothetis differant Nomophylaces, ad hanc quaestionem, fuerunt, qui, nihil plane intercedere responderent discriminis; alii contra, qui acutius viderunt, multum ab illis diuersos esse putarunt Nomophylaces. Ita quidem Harpocratio. (f) Quod si vero quaesieris, quibus modis differant, tunc sane Harpocr. *Ἀρεωπαγίτης* erit *σιωπηλότερος*. In tanti igitur viri silentio recurrendum est ad Suidam, (g) cuius, hanc in rem, locus exstat quam maxime insignis, *οἱ μὲν Θεσμοθέται κατὰ τὰ πατρίαι ἐξεφανώμενοι ἐπὶ τὸν ἄρειον ἀνέβαινον πάγον, οἱ δὲ νομοφύλακες εὐφροίσις λευκοῖς ἐχεῶντο κ.τ.λ.* Vides inde, quantum intercesserit discriminis. Addere liceat, quod a Suida omissum esse magnopere miror, alia fuisse Nomophylacum, alia Thesmothetarum munera, hi leges ad examen reuocantes, si quas inutiles deprehenderant, eas abrogandas curabant, illi contra, quo minus contra leges aliquid fieri posset cauebant. Plura de Nomophylacibus, ne putidus videar, addere iam piget, praesertim cum in alto veterum silentio ad meras recurrendum esset coniecturas, quas ne longissime arcessere videar, pedem figo, cum, si quid video, satis iam appareat, quanto studio Athenienses usquequaque bonis inuigilauerint legibus. Quae cum ita sint, sane non quaerendum est, quibus artibus Atheniensium tam diu seruata sit respublica, multis enim exemplis edocti scimus, omnem reipublicae salutem legibus, tanquam firmissimis inniti fulcris, quae si male curaueris, ipsa quoque lacerabitur respublica, si contra, quo minus quid detrimenti capiant haec fulcra custodiueris, ipsius quoque reipublicae salus nulla tempestate dirui poterit atque euerti. Rebus sic se habentibus, quidni reipublicae nostrae diuino quodam munere senatum putes esse concessum vigilantissimum, qui diu noctuque reclarum


(e) Suidas v. οἱ νομοφύλακες.

(f) Harpocrat. in voce νομοφύλαξ.

(g) Suidas l. c.



rum legum curam agat. Credo sane, si adhuc superstites es-
sent veteres illi Atheniensium Nomophylaces, eos in nostra ciui-
tate imitatores nactos esse acerrimos. Inde vero cum omnis rei-
publicae nostrae salus pendeat, hic dies, quo cum fascibus, ut
totius reipublicae, ita inprimis legum cura alii traditur consuli,
omnes omnino ciues monet, ut fausta pro reipublicae salute vo-
ta nuncupent. Idem quoque a me pietas deposcit, cum in hac
ciuitate natus, magno insuper reipublicae nostrae beneficio te-
near obstrictus. Quod igitur felix faustumque sit, figo voti-
uam tabulam. Iam primum ad TE, CONSUL, cui hoc ipso
die traditur respublica nostra, orationem meam conuerto. Me-
rita tua ciuitati nostrae saepius iam probata bonam reipublicae
nostrae fortunam ominantur, praesertim, cum plus semel, TE
scire consulem agere, declaraueris. Faxit igitur Deus, ut vel
ipsam ciuium expectationem vincas, et, quem ἀγαθῆ τύχῃ
cepisti magistratum, feliciter decurras. Dignos TE semper
habeas ciues, sic ciues se dignum semper habebunt consulem.
Constet, uti superiori anno consistit, reipublicae decus, cultus
legibus, bonis praesidium. Sic saluam TE CONSULE, habebimus
republicam, leges saluas, ciues beatos. Ad alterum CONSUL-
LE, ~~confero neque~~ ~~merita~~ eius me neque satis laudare, nec,
quae de illo animo conceperim vota, digne satis optare posse.
Id enim illi acceptum ferimus, quod multos iam annos leges
saluas et saluam habeamus rempublicam. Quare floreat ae-
tate et viribus, atque integra valetudine, comitatuque diuino sti-
patus Dresda redux fiat, ut multos adhuc annos de republica
nostra bene mereri possit. Superest, ut pro VOBIS, SYNDICE,
PRAETOR, ceterique SENATORES huius ciuitatis, Statores legum
vigilantissimi pia vota concipiam. Omittam vero omnes bene
precandi formulas, votorum meorum summam his paucis
complexus: ita vos Deus iuuet in magistratu VESTRO, uti vos
semper publicam optatis salutem. Quod votum breuibus prae-
cidenti minime vitio vos daturus esse spero, cum VESTRA erga
me beniuolentia maior sit, quam, ut verborum lenociniis anxie



quaesitis eam mihi conciliare studeam. Haec igitur sunt, quae fieri non potuit, quin pietatis meae declarandae causa adicerem. Quare si quando hic inde lapsus sim, veniam a lectoribus meis spero me impetraturum esse, dum cogitauerint, me non vano quodam inclarescendi studio abreptum hoc edito libello cruda adhuc studia in lucem adspectumque propellere, sed, quicquid hoc sit commentatiunculae id omne a pietate profectum esse, quam magno quondam a republica nostra beneficio ornatus hoc ipso die, quo mihi in officio consulum (h) esse licuit, per hunc libellum, tacitum quippe grati animi mei interpretem, publice testari volui.

(h) *Officia consulum* veteribus dicebantur omnia ea, quae Romani nouis consulibus, sub initio imperii eorum, honoris causa, praestabant. Sueton. in Iul. Caes. c. 15. Hac referas officia illa antelocana, si consules imperium suum suscepturi primo mane a senatu et populo domi suae salutabantur, huc quoque trahere licet illum ritum, quo noui consules in Capitolium forum vel curiam deducebantur. Simili ratione in officio togae virilis esse dicitur Plinio, L. 1. ep. 9. in officio Praetoris esse, l. 5.



Antiqu. Graec.